

TRIBUNAL SUPRÊME DE LA SIGNATURE APOSTOLIQUE¹

*Prot. n. 45545/11 CA – N – Suspensionis
– (Rev.dus X–Congregatio pro Gentium
Evangelizatione)*

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

BENEDICTO PP. XVI feliciter regnante,
Pontificatus sui anno VIII, die 27 novembris
2012, Supremum Signaturæ Apostolicæ
Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.
mis D.nis Raimundo Leone Card. Burke,
Præfecto, Antonio Maria Card. Rouco
Varela, Leonardo Card. Sandri, Velasio
Card. De Paolis et Iosepho Card. Versaldi,
Ponente, intervenientibus Cl.mo Carolo
Gullo et Cl.ma Alexia Gullo, utpote res-
pective Advocato-Procuratore et Advocata
Rev.di Recurrentis, Cl.ma Lucia Theresia
Musso, tamquam Patrona Congregationis
pro Gentium Evangelizatione et Exc.
mi Archiepiscopi N, atque Rev.mo D.no
Ioseph R. Punderson, Promotore Iustitiæ
deputato, in causa, de qua supra, hanc
definitivam tulit sententiam.

¹ Sentence et traduction publiées avec l'autorisation du TSSA. — Trad. fr. : Emmanuel VAILLANT.

I. SPECIES FACTI

1. Rev.dus X, anno 1987 presbyter ordinatus pro dioecesi (ab anno 2004 archidioecesi) N, anno 1994 titulo doctoris in theologia morali in Urbe obtento ad illam dioecesim revertit, sed mense decembri anni 1996 licentia eidem concessa est ab Exc.mo Ordinario transmigrandi ad dioecesim Z, ubi mense ianuario anni 1997 munus pastorale suscepit. Die 2 iunii 2005 incardinationem petiit in hac dioecesi, sed eius Exc.mus Episcopus respondit eam sine consensu Exc.mi Archiepiscopi N concedi non posse. Quam ob rem Rev.dus X epistolis dierum 5 augusti et 14 septembris 2005 adiit Exc.mum suum Ordinarium. Nulla responsione obtenta, ipse W petiit et cum Exc.mo Archiepiscopo die 15 novembris 2005 de re collocutus est. Die vero 27 novembris 2005 Rev.mus Vicarius generalis N declarationem scriptam Rev.do X dedit, auctoritatibus civilibus exhibendam, iuxta quam Rev.dus X est sacerdos N ministerium ad tempus in T exercens, qui interdum propriam Archidioecesim N visitare debet. Sua ex parte Exc.mus Archiepiscopus, litteris die 5 februarii 2006 ad Exc.mum Ordinarium Z datis et cum Rev.do X communicatis, explicavit excardinationem non concedi cum hic esset unus ex paucis presbyteris titulo academico ornatis, quibus archidioecesis indigebat, attamen ei permitti ut in T permaneret usque ad revocationem. Hoc non obstante, die 12 septembris 2006 Rev.dus X, inscio Ordinario, civitatem T obtinuit et ideo civitatem W amisit.

Die 25 octobris 2007 Exc.mus Archiepiscopus N Rev.dum sacerdotem revocavit, qui vero die 16 decembris 2007 interventum petiit Congregationis pro Clericis, quæ instantiam ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione transmisit. Iuxta consilia huius Congregationis, Exc.mus Archiepiscopus die 15 aprilis 2008 sacerdotem iterum in archidioecesim revocavit, intra mensem quidem octobrem eiusdem anni, sed Rev.dus X die 30 aprilis 2008 coram Congregatione instituit ut excardinatio concederetur. Exc.mus Archiepiscopus dein die 20 iunii 2008 cum consultoribus dioecesanis perpendit, qui censuerunt sacerdotem non tantum revocandum in archidioecesim sed etiam puniendum esse, cum eius modus agendi illicitus ad obtinendam excardinationem pravum constituere posset exemplum in archidioecesi. Quibus præhabitis, Congregatio die 8 iulii 2008 denegationem excardinationis comprobavit.

Quam adversus decisionem Rev.dus X die 19 augusti 2008 provocavit ad H.S.T. (cf. prot. n. 41703/08 CA), quod vero recursum die 1 septembris 2008 in limine reiecit. Contra hanc reiectionem Rev.dus sacerdos tunc recursum interposuit ad Congressum H.S.T., qui autem reiectionem die 18 iunii 2009 confirmavit.

2. Interea, litteris diei 6 maii 2009, Rev.dus X, adhuc in dioecesi Z degens, denuo ab Exc.mo Archiepiscopo excardinationem petiit, asserens impedimentum revertendi in W ob mutationem civitatis esse immutabile ac irrevocabile.

Litteris vero diei 26 maii 2009 Exc.mus Archiepiscopus respondit, sacerdotem admonens ut omnia conamina pro viribus ad civitatem W recuperandam faceret et quam primum in propriam archidioecesim reverteret. Sua ex parte, Em.mus Præfectus Congregationis pro Gentium Evangelizatione, attenta decisione H.S.T. diei 18 iunii 2009, litteris diei 29 iulii 2009 Exc.mum Archiepiscopum adhortatus est ut Rev.do X, maxima cum prudentia et sollicitudine pastorali, servatis etiam normis canonicis, sub poena suspensionis præceptum revertendi in archidioecesim imponeret, utque dein, si et quatenus inflicta suspensione, sacerdotem admoneret de possibili dimissione in poenam e statu clericali in casu persistentis inobedientiæ. Proinde, litteris diei 20 augusti 2009, Exc.mus Archiepiscopus suaviter Rev.dum X rogavit ut quam primum reverteret ad archidioecesim, saltem vero intra medium mensem octobrem eiusdem anni. Nulla recepta responsione, Exc.mus Archiepiscopus die 10 novembris 2009 præceptum sacerdoti dedit, eum iubens ut rediret ad archidioecesim intra diem 15 decembris 2009, sub poena sanctionum canonicarum non specificatarum.

Quo præcepto recepto, sacerdos die 11 decembris 2009 respondit se diebus 14-15 decembris 2009 Exc.mum Archiepiscopum aditurum esse et de facto illis diebus coram eo apparuit, qui, adstante Rev.mo Cancellario, Rev.do X notificavit nominationem ad officium vice-rectoris seminarii regionalis.

Hic autem, non obtenta licentia civili manendi in W, statim reversus est in T, ubi die 11 ianuarii 2010 notitias accepit de licentia ad activitatem missionalem in W exercendam definitive denegata et litteris diei 14 ianuarii 2010 Exc.mum Archiepiscopum de re certiore fecit. Hic autem die 28 ianuarii 2010 respondit amissam civitatem W non constituere excusationem legitimam et novum præceptum sacerdoti imposuit redeundi in archidioecesim intra diem 31 martii 2010, sub poena suspensionis, haud exclusa, in casu inoboedientiæ persistentis, petitione pro dimissione in poenam e statu clericali. Postea Exc.mus Archiepiscopus benigne terminum ad ulteriores quattuor menses prorogavit, sed frustra. Proinde litteris diei 12 augusti 2010 Exc.mus Archiepiscopus, reiciens excusationem datam, denuo sacerdotem revocavit in archidioecesim intra diem 1 decembris 2010, sub poena suspensionis, sed litteris diei 10 septembris 2010 Rev.dus X, citans suas litteras diei 14 ianuarii 2010, iterum respondit se oboedire non posse ob impossibilitatem obtinendi licentiam necessariam. Interea ipse quandam instantiam exhibuerat coram Em.mo Secretario Status, qui eam pro competentia transmisit ad Congregationem pro Gentium Evangelizationis. Em.mus eius Præfectus dein, litteris die 12 octobris 2010 ad Rev.dum X datis, animadvertens ipsam Congregationem necnon H.S.T. eius instantiis responsionem dedisse definitivam nec haberi elementa nova et gravia reconsiderationi faventia, oboedientiam urgebat, de re certiore facto Exc.mo Archiepiscopo N.

Haud acquiescebat Rev.dus X, qui die 28 octobris 2010 novam instantiam misit Congregationi, asserens Consulatam W in T declarasse sacerdotem non posse civitatem W recuperare. Dein, litteris diei 4 novembris 2010, Exc.mus Archiepiscopus, legitimitatem excusationis denuo reiciens, præceptum diei 12 augusti 2010 iteravit, sub poena suspensionis a divinis. Elapso tempore concesso, Exc.mus Archiepiscopus tandem die 2 ianuarii 2011 sacerdotem a divinis suspendit ob persistentem inoboedientiam.

Rev.dus X, decreto suspensionis die 4 februarii 2011 recepto, die 10 februarii 2011 frustra remonstrationem exhibuit; quapropter presbyter die 23 martii 2011 recursum interposuit apud Congregationem pro Gentium Evangelizatione, quæ autem die 16 aprilis 2011 recursum reiecit, commendans solutionem pacificam. Rev.dus N tunc litteris diei 13 maii 2011 ab Exc.mo Archiepiscopo veniam petiit ob suum modum agendi in præterito, sed denuo instans super impossibilitatem adimplendi præceptum impositum suspensionem petiit executionis poenæ impositæ.

3. Silente Exc.mo Archiepiscopo, Rev.dus X instantia diei 27 maii 2011 ad H.S.T. recurrit, quod, peractis peragendis, tandem in Congressu die 2 martii 2012 habito decrevit recursum admittendum esse et facto admitti ad disceptationem coram Em.mis ac Exc.mis Iudicibus, atvero tantummodo ad assertam violationem legis in procedendo quod attinet.

Rebus sic stantibus, die 21 aprilis 2012 hoc dubium concordatum est : An constet de violatione legis in procedendo relate ad actum Exc.mi Archiepiscopi diei 2 ianuarii 2011, quatenus a Congregatione pro Gentium Evangelizatione die 16 aprilis 2011 confirmatum.

Summario confecto et re uti de more inter Cl.mos Advocatos et Rev.mum Promotorem Iustitiæ deputatum discussa, nunc Nobis in Parte Secunda huius sententiæ præfato dubio respondendum est.

Rev.dus X re vera etiam ad Collegium recurrit contra recusatam admissionem ad disceptationem sui recursus ad assertas violationes legis in decernendo quod attinet. Attentis argumentis pro recurso ad Collegium ab eius Cl.mis Advocatis propositis, audita Cl.ma Patrona Auctoritatis ecclesiasticæ et exhibito voto a Rev.mo Promotore Iustitiæ deputato, Nobis huic quoque dubio respondendum est : An decretum Congressus, die 2 martii 2012 latum, quatenus respicit assertas violationes legis in decernendo, reformandum sit. Pertractatio vero hac de re in Parte Tertia natura sua potius habenda est decretum definitivum.

II. IN IURE ET IN FACTO QUOAD ASSERTAM VIOLATIONEM LEGIS IN PROCEDENDO

4. Rev.dus Recurrens per Cl.mos suos Advocatos contendit in infligenda suspensione legem violatam esse in procedendo ex parte Exc.mi Archiepiscopi ob omis- sam investigationem præviam, ob defectum monitionis canonicæ et ob omissam notificationem processus administrativi ad poenam infligendam.

Contra autem in decreto Congressus responsum est quod : “Constat monitiones datas esse, investigationem præviam necessariam non fuisse, atque sacerdotem sese defendere potuisse”. Exc.mus Archiepiscopus re vera formalem investigationem præviam non instituit, at vero cum factum inoboedientiæ erga præceptum impositum notum et ab ipso Rev.do X admissum erat, ulterior investigatio omnino superflua erat ideoque ad normam can. 1717, § 1 omittenda. Relate tum ad præscriptam monitionem canonicam (cf. can. 1347, § 1) constat Exc.mum Præsulem eam explicite dedisse in epistolis diebus 12 augusti 2010 et 10 novembris 2010 datis, de quibus in ipso decreto suspensionis diei 2 ianuarii 2011 fiebat mentio. Quoad dein assertam omissam notificationem processus administrativi, Exc.mus Archiescopus ex adverso Rev.dum Recurrentem certiore fecerat de poena ferenda in casu persistentis inoboedientiæ in binis litteris dierum 12 augusti 2010 (“If you fail to comply with this order of mine... I will be forced to suspend you”) et 4 novembris 2010 (“If you fail to comply with that order of mine... you will be suspended... as mentioned in that order”). Ex actis tandem apparet Rev.dum Recurrentem facultatem sese defendendi (cf. can. 1720, n. 1) sive scripto sive ore exercere potuisse et facto exercuisse.

5. Manet autem quæstio de præscripto can. 1720, n. 2 servato, scilicet utrum, necne, Exc.mus Archiepiscopus omnes probationes et argumenta cum duobus assessoribus perpenderit.

In decreto enim Congressus animadversum est quod : “Ex actis... haud constat Exc.mum Archiepiscopum probationes et argumenta omnia cum duobus assessoribus accurate perpendisse, ad normam can. 1720, n. 2, antequam decretum suspensionis die 2 ianuarii 2011 tulerit”.

Congregatio pro Gentium Evangelizatione admisit quod “non ci risulta con certezza che l’Arcivescovo A abbia valutato il caso, le prove e le difese dell’accusato con due assessori prima di imporre la sospensione”, attamen quod, perpensis persistenti inoboedientia Rev.di sacerdotis, numerosis interventibus Exc.mi Archiepiscopi, eius consultatione cum ipsa Congregatione et præsertim voto unanimo ex parte collegii consultorum archidioecesis die 20 iunii 2008 dato, “si può ritenere che... la sostanza della prescrizione del can. 1720, n° 2, è stata rispettata”. Recte autem animadvertit Rev. mus Promotor Iustitiæ deputatus illam consultationem diei 20 iunii 2008 minime considerari posse consultationem, de qua in can. 1720, n. 2, relate ad suspensionem a divinis die 2 ianuarii 2011 decretam.

Sua ex parte, Exc.mus Archiepiscopus replicavit se reapse, etiam si in decreto diei 2 ianuarii 2011 de illa consultatione non fit mentio, die 20 novembris 2010 in sede archiepiscopali rem sedulo cum duobus assessoribus dioecesanis, nimirum cum Vicario iudiciali et Vicario generali, sedulo perpendisse, id est paulo ante expirationem termini ad oboediendum dati (scil. intra diem 1 decembris 2010).

Utcumque, attentis notitiis præcisis tandem aliquando ab Exc.mo Ordinario N datis et a nemine in dubium vocatis, concludendum est non constare de violatione legis in procedendo ob neglectum præscriptum can. 1720, n. 2, ex parte eiusdem Exc.mi Archiepiscopi.

III. IN IURE ET IN FACTO QUOAD ASSERTAS VIOLATIONES LEGIS IN DECERNENDO

6. Contendit Rev.dus Recurrens legem in decernendo violatam fuisse, cum ipse præcepto Exc.mi Archiepiscopi ob grave incommodum, de quo in can. 1323, n. 4, oboedire non posset. Instant etiam eius Cl.mi Advocati Rev.dum X in W regredi non potuisse cum non amplius esset civis W, ipsum præterea legitime incardinacionem in dioecesi in T exspectavisse et, tandem, defuisse validam rationem ad eum in propriam archidioecesim revocandum. Omnino autem recte Rev.mus Promotor Iustitiæ deputatus obicit illa tria argumenta non sustineri.

7. Magis intricata est prima quæstio, de asserta scilicet impossibilitate Rev.di sacerdotis ob amissam civitatem W in suam archidioecesim regrediendi. Ad rem in memoriam revocandum est factum quod ipse anno 2006, insciis tam Exc.mo Archiepiscopo N quam Exc.mo Episcopo Z, civitati W renunciaverat ad illam T obtinendam, quodque Exc.mus Præsul N iam ante comminatum suspensionem die 26 maii 2009 ei intimavit ut omnia possibilia faceret ad civitatem W recuperandam.

Utique verum est Rev.dum X a Consule W in T licentiam in W migrandi ad opus missionale ibi agendum petiisse, sed responsionem negativam cum minis sanctionum poenaliū recepisse, eumque hac de re Exc.mum suum Ordinarium certiore fecisse. Huiusmodi autem petitio ex parte presbyteri alienæ nationis in W migrandi ut ibi opus missionale peragere possit, non exauditur, immo responsum positivum iuxta vigentes normas W obtinere nequit. Rev.dus sacerdos ideo ad rem viam selegit perdifficilem. At vero non satis efferri potest talem petitionem non fuisse unicam possibilem ad licentiam in W redeundi obtinendam, quam ob rem dubium quoddam oritur de eius cohærentia ad præceptum Exc.mi Episcopi adimplendum ut omnia possibile faceret ad civitatem W recuperandam. Iudicio enim advocati periti indiani ab Exc.mo Archiepiscopo consulti aliæ viæ patent ad licentiam legitime in W regrediendi obtinendam : persona originis W civis alienæ nationis facta civitatem indianam denuo obtineri potest, dummodo alienæ civitati renuntiet, mediante processus s.d. "registrationis", iuxta sectionem 5 v.d. "Citizenship Act", vel per processum v.d. "naturalisation", de quo in eius sectione 6, dum sectio 7A agnoscit possibilitatem ut talis persona iure gaudeat residendi et operandi in W uti v.d. "overseas citizen of W", sine civitate W ; quæ ultima via magis simplex et potius difficultatum expers videtur.

Rev.dus autem X, nulla explicatione data, contra institit in percurrenda via sine exitu, id est in petenda licentia ad activitatem missionalem utpote presbyter alienus exercendam. Ita comprobatur, uti impugnatum decretum Congressus diei 2 martii 2012 efferebat, Rev.dum sacerdotem haudquaquam omnia possibilia fecisse ad impedimentum a seipso creatum tollendum. Deficit proinde assertum grave incommodum, quod eum ab oboediendo excusaret, uti ratio legitima a Rev.do Recurrente invocata contra suspensionem ei ab Exc.mo Archiepiscopo inflictam et a Congregatione pro Gentium Evangelizatione confirmatam.

8. Quoad assertam legitimam expectationem Rev.di X ad incardinationem in dioecesi in T obtinendam firmiter tenendum est eam quocumque fundamento carere. Exc.mus enim Archiepiscopus, non obstante licentia data ad ministerium in T explendum, numquam ei excardinationem concedere volebat, uti demonstratur ex eius litteris die 5 februarii 2006 ad Exc.mum Episcopum Z datis et cum Rev.do N communicatis, etiam si hic usque ad revocationem in T remanere poterat. Ipse nihilominus mense septembri 2006 civitatem T petiit et obtinuit et eam W amisit. Exc.mus Archiepiscopus dein recte legitimam voluntatem non concedendi excardinationem manifestavit, post decisionem ad rem ab H.S.T. latam iterum iterumque magna cum benevolentia Rev.dum Recurrentem in archidioecesim revocans.

Prorsus itaque non intellegitur quo reali fundamento niti posset eius asserta expectatio, nisi hæc confundetur cum propria Rev.di sacerdotis intentione remanendi in T.

9. Manet obiectio asserti defectus iustæ rationis ad Rev.dum X in archidioecesim revocandum. Ad rem sufficit in memoriam revocare quod ad solum Ordinarium pertinet decernere quod munus presbyteris in dioecesi incardinatis committendum sit, quodque Exc.mus Archiepiscopus N die 15 decembris 2009 Rev.dum presbyterum vice-rectorem seminarii regionalis nominavit. Idem Exc.mus Præsul, ceterum, iam antea explicavit excardinationem concedi non posse, cum Rev.dus X, studiis in Urbe peractis, unus ex paucis presbyteris archidioecesis sit altius præparatis. Eius igitur opinio relate ad defectum rationis pro reditu in archidioecesim nullius est valoris et nullo modo legitimitatem revocationis in eam ad normam cann. 274, § 2 et 283, § 1 tollit.

IV. CONCLUSIO

10. Omnibus in iure et in facto æque rimatis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum præ oculis habentes, dubiis propositis respondendum esse decreverunt atque respondent : Negative ad primum, seu non constare de violatione legis in procedendo relate ad actum Exc.mi Archiepiscopi diei 2 ianuarii 2011, quatenus a Congregatione pro Gentium Evangelizatione die 16 aprilis 2011 confirmatum.

Negative ad alterum, nempe decretum Congressus die 2 martii 2012 latum, quatenus respicit assertas violationes legis in decernendo, non esse reformandum.

Pro expensis processualibus cautio in arca H.S.T. deposita retineatur. Rev. dus Recurrens suo Cl.mo Advocato-Procuratori suæque Cl.mæ Advocatæ atque Auctoritas ecclesiastica suæ Cl.mæ Patronæ congruum solvant honorarium.

Hanc definitivam sententiam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romæ, e sede Supremi Signaturæ Apostolicæ Tribunalis, die 27 novembris 2012.